

Heinrich Camerarius    Heinrich Albrecht

**PROPOSITIONES || DE TVTELA || ET CVRA,|| De quibus || D. O. M. A.|| EX  
DECRETO AMPLISSIMI IV-||risconsultorum ordinis in inclyta || Academia  
Rostochiensi,|| praeside || HENRICO CAMERARIO || I. V. D. Antecessore et  
DECANO,|| PRO CONSEQVENDA IN || vtroq iure Licentia || respondebit ||  
HENRICVS ALBRECHTVS || Lubecensis.|| Fiet ... 25.|| Septemb. ... ||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1590

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789460425>

Druck    Freier  Zugang



Inves.: Lamerarius, Heinrich

Reop.: Albrecht, Heinr.

R.M. jür. 1590

J







42

316

43

PROPOSITIONES

DE TUTELA  
ET CVRA,

De quibus

D. O. M. A.

EX DECRETO AMPLISSIMI IV-  
risconsultorum ordinis in inçlyta  
Academia Rostochiensis,

præside

HENRICO CAMERARIO  
I. V. D. Antecessore & DECANO,

PRO CONSEQVENDA IN  
utroq; iure Licentia  
respondebit

HENRICVS ALBRECHTVS  
Lubecensis.

Fiet disputatio in auditorio magno; 25.  
Septemb. hora 6 matutina.



R O S T O C H I I

Stephanus Myliander excudebat.

Anno 1590.

*RU jur. 1590 Camerarius, Heinrich*



DE TUTELA & CVRA

Propositio.

I.



*U*naturali conueniens est, ut  
is qui perfecta aetatis non sit, al-  
terius tutela regatur.

II.

*Est autem tutela (ut Seruius definiuit)  
vis ac potestas in capite libero ad tuendum e-  
um, qui per aetatem seipse defendere nequit.  
Iure civili data ac permissa.*

III.

*Et vel Testamentaria est, vel Legitima,  
vel Datina.*

IV.

*Testamento tutores dant parentes liberis  
impuberibus, quos in potestate habent.*

V.

*Et hoc in filios filiasque procedit omnimodo:  
nepotibus vero neptibusque, ita demum paren-  
tes possunt testamento tutores dare, si post mor-  
tem eorum in patris sui potestatem non sunt  
recauri.*

VI.

*Postumis quoque testamento tutores dari pos-  
sunt: si modo in ea causa sint, ut si uiuis pa-  
rentibus nascerentur sui heredes & in pote-  
state eorum fierent.*

Ma



## VII.

Mater testamento filijs tutores dare non potest, nisi eos heredes instituerit: quando autem eos heredes instituerit: solet ex voluntate defunctæ datus tutor à præside vel magistratu cum inquisitione confirmari.

## VIII.

Sed et ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione, vel ante heredis institutione, testamento posse dari tutorem non dubitatur.

## IX.

Certa tamen rei vel causæ tutor dari non potest: quia persona non causæ vel rei datur.

## X.

Quibus autem testamento tutor datus non est, his ex lege XII. Tabularum adgnati, utpote ad quos hereditas eodem iure pertinet & non ad cognatos, sunt tutores, qui vocantur legitimi.

## XI.

Nam ubi est successionis emolumentum, ibi & tutela onus esse debet.

## XII.

Et si plures sunt adgnati, non simul ad omnes pertinet, sed ad eos tantum, qui proximior gradu sunt, et si plures eiusdem gradus sunt, ad omnes pertinet. Ce-



## XIII.

Ceterum hodie nulla est differentia inter adgnatos & cognatos, sed cognati eodem iure sunt, quo adgnati, tam quo ad hereditatem quam ad tutelam, nec ullam prerogativam adgnati pro cognatis habent. Itaque hodie quoque cognati ad tutelam vocantur, non minus quam adgnati.

## XIV.

Sed & hodie mater & avia, si secundis nuptijs & S. C. Velleiano renunciant, omnibus adgnatis & cognatis in tutela preferuntur, & quidem non tantum in legitima sed & dativa.

## XV.

Et est Dativa tutela, qua tutores impuberibus à magistratu constituuntur.

## XVI.

Nam si impuberibus nec sunt testamentarij, nec legitimi tutores, eis magistratus dant tutores.

## XVII.

Atque hoc tutela munus publicum & necessarium est. nam gerere & administrare tutelam extra ordinem tutores cogi solent.

## XVIII.

Nisi forte iusta vacationis causa & immunitatis allegatione se excusent.

Ex-



## XIX.

*Excusantur autem tutores varijs ex causis, ob liberorum puta numerum: absentiam Reip. causa: tria tutela non adfectata onera: aduersam valetudinem, propter quam ne suis quidem negotijs interesse possunt: inimicitias capitales: aetatem 70 annorum, ob aliasquè causas quàm plures.*

## XX.

*Et qui se excusare volunt, si plures habent excusationes, & de quibusdam non probaverunt, alijs, uti intra tempora constituta non prohibentur.*

## XXI.

*Quae tempora quinquaginta diebus continuis concluduntur. Nam qui se excusare volunt, non appellant, sed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverint, se esse tutores datos, se excusare debent, postmodum excusationes non admittuntur.*

## XXII.

*Sanè tutores cuiuscumq; sint generis, tutela administrationem suscipere non debent, nisi ea sit illis à magistratu decreta.*

## XXIII.

*Debent verò tutores omnes inventarium rerum pupillorum facere, et ex nouissimis Im-*



perij constitutionibus cauere, Rem pupilli saluam fore atq; ad fidem & reddendas rationes legitimas iureiurando se obstringere.

XXIV.

Auctoritas tutoris in quibusdam causis necessaria pupillis est, in quibusdam non est necessaria, ut ecce si quid dari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris auctoritas: quod si alijs promittant pupilli, necessaria est.

XXV.

Placuit namq; meliorem quidem condicionem licere pupillis facere, etiam sine tutoris auctoritate, deteriorem verò non aliter, quàm cum tutoris auctoritate.

XXVI.

Unde in his causis, ex quibus obligationes mutue nascuntur, ut in emptionibus venditionibus, locationibus conductionibus, mandatis, depositis, si tutoris auctoritas non interueniat, ipsi quidem, qui cum his pupillis contrahunt, obligantur, at inuicem pupilli non obligantur.

XXVII.

Tutor autem statim in ipso negotio praesens debet auctor fieri, si hoc pupillo prodesse existimauerit: post tempus verò, vel per epistolam, interposita tutoris auctoritas, nihil agit.

XXVIII.

Finitur tutela cum pupilli pupillaq; puberes esse ceperint.

XXIX.

Itemq; morte vel pupillorum vel tutorum.

Sed



XXX

*Sed* § capitis diminutione tutoris, per quam libertas vel ciuitas eius amittitur, omnis tutela perit.

XXXI

*Minima autem capitis diminutione tutoris, uelut si se in adoptionem dederit, legitima tutela perit. cetera non pereunt.*

XXXII

*Sed pupilli* § pupillae capitis diminutio, licet minima sit, omnes tutelas tollit.

XXXIII

*Finita tutela, tutor tutela iudicio in omnibus, quae fecit, cum facere non deberet, item in his quae non fecit, rationem reddere tenetur: § ut annuatim rationes offerat § reddat, Imperij constitutiones ipsi praescribunt.*

XXXIII

*Hac actio perpetua est, et in heredem tutoris competit, sed § heredi pupilli aequè competit, similibusq; personis.*

XXXV.

*Tutori autem contraria tutela, itemq; utilis negotiorum gestorum actio datur aduersus pupillum, ad consequendum ea, quae propter tutelam absunt, dummodo tutor ex officio § bona fide sumptus fecerit, § negotium gesserit.*

XXXVI.

*Hanc etiam actionem perpetuam esse palam est, § he-*



¶ heredi ¶ in heredem dari, ceterosq; successores  
¶ ad quos ea res pertinet, ¶ in eos.

XXXVII.

Finita tutela puberibus usq; ad annum 25 dan-  
tur curatores, qui in paucissimis à tutoribus distant.

XXXVIII.

Differunt verò potissimum, quòd tutela princi-  
paliter pupillorum, cura bonorum sit: quòd tutores  
inuitis dentur, adolescentes inuiti curatores non ac-  
cipiant, præterquam in litem: quòd tutores certæ rei  
dari non possint, curatores certæ etiam rei ¶ cause  
constituantur; ¶ deniq; quod pupilli sine tutoris au-  
thoritate non obligentur, puberes verò sine curatoribus  
possint obligari.

XXXIX.

Certè licet quidem iure communi tutela puberta-  
te finiatur, atq; tum adulto curator dari debeat: tamè  
ex generali quadam ferè ubiq; locorum, in primis in  
Germania recepta consuetudine, qui semel dati sunt  
tutores, ijdem plerumq; ¶ curatores permanent, ¶  
rebus minorum usq; ad maiorem ætatem præsent,  
præsertim si tutores, tutela pubertate finita, ¶ ratio-  
nibus distractis, adulto curatorem non petierint: Et  
inde est quòd tutores ¶ curatores Germanis uno no-  
mine Vormund appellentur.

FINIS.







[http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1789460425/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1789460425/phys_0012)



perij constitutionibus cauere, Rem pupilli saluam fore atq; ad fidem reddendas rationes legitimas in re iurando se obstringere.

XXIV.

Auctoritas tutoris in quibusdam causis necessaria est, in quibusdam non est necessaria, ut ecclesiari sibi stipulentur, non est necessaria tutoris quod si alijs promittant pupilli, necessa-

XXV.

Itemq; meliorem quidem condicionem habere, etiam sine tutoris auctoritate, determinari aliter, quam cum tutoris auctoritate.

XXVI.

Unde in quibus obligationes mutue nascuntur, in venditionibus, locationibus conductibus, et depositis, si tutoris auctoritas non est, si quidem, qui cum his pupillis contractat, at inuicem pupilli non obligantur.

Tutor autem statim auctor fieri, si hoc pupillo praesens debet auctoritatem: postea tutoris auctoritas, nihil agit.

Finitur tutela cum pupilli praesens esse ceperint.

XXIX.

Itemq; morte vel pupillorum vel